

Les souffrances du jeune Victor

Texte en latin de 1680

ACTA MARTYRII

à Mombrizio edita & cum pluribus MSS. collata.

CAPUT I.

Profectio fidei. Confractio digitorum. Projectio in caminum ardentem absque læsione.

- 1 In diebus illi, facta in Christianos persecutione ab Imperatore Antonino, temporibus Sebastiani Ducis Ægypti, Alexandriæ fuit quidam vir Christianus à Cilicia, nomine Victor, miles, ab infantia metuens Deum : cui Dux dixit : Victor, litteræ mihi venerunt ab Antonino, jubentes ut sacrificent Christiani : qui autem noluerint sacrificare diis, in magna erunt damnatione. Ergo, Victor, sacrificæ, ne periclitetur anima tua. Victor dixit : Ego enim miles sum magni Regis immortalis Jesu Christi : nam regnum hujus Antonini instabile & exterminabile est : regnum autem Domini mei Jesu Christi semper stabile & incorruptibile est, & finem non habet. Sebastianus Dux dixit : Et tu ad Regem nostrum pertinens, obaudi illi & sacrificæ diis. Victor dixit : Et ipsi quidem militabam, & ipsum audiebam : sed quia in corde meo Deum meum colo, propterea non me vincet diabolus. Hoc solum scito, quoniam in carnem meam habes potestatem, perdere autem animam meam non habes. Solus deus est, qui habet potestatem mortificare & vivificare corpus & animam, ipsi gloria & honor, laus & imperium in secula seculorum. Sebastianus Dux dixit : Video te magnam habere sapientiam in sermone. Victor dixit : Sapientia hæc non est mea : sed Dominus donavit mihi eam. Sebastianus Dux dixit : Erue te à malis tormentis. Victor dixit : Ego propter hoc libenter torqueor, & plus confortor : quoniam dignatus est me Deus ad hoc perducere, ut propter testimonium ejus possim torqueri, & in spem venire Regis sempiternalis. Sebastianus dixit : Lecto res aut Diaconus, qui talem eloquentiam habes in sermone ? Victor dixit Non fui dignus talem habere gratiam, sed gratia Christi perduxit me ad hoc. Ipse est, qui donat reddit corde, & iis, qui servant mandata ejus, sapientiam & prudentiam de divitiis suis. Quomodo ergo agricola si bene colit agrum suum, superveniente pluvia perducit eum ad fructus suos ; sic & sapientia Dei omnes sperantes in illumsulcit, & non permittit inimicum supervenire in illis ; sed potius perducit eos fructiferos ad Deum. Sebastianus Dux dixit : Ergo nunc est cogitatio tua magis mori quam vivere ? Victor dixit : Hæc mors non est, sed vita æterna, si perseveravero in hoc sufferens tormenta tua. Sebastianus Dux dixit : Hoc ergo consilium tenuisti ? Victor dixit : Etiam.
- 2 Tunc jussit Sebastianus confringi digitos ejus a quo usque exirent à cute sua. Tunc S. Victor dixit : Gratias ago Deo meo, quoniam appropinquavit ad me gratia ejus per Dominum meum Jesum Christum. Sebastianus Dux dixit : Acquiesce & sacrificæ diis meis, ut non male moriaris. Dicit ei S. Victor : Hoc numquam ero factururus, ut lapidibus & sculptilibus, quibus tu ipse similis es, ego sacrificem. Sed ego sacrifico Deo vivo, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt : ipsi soli serviet anima mea : nam tibi numquam consentio. Tunc Sebastianus furore repletus, jussit eum in carcerem mitti.
- 3 Altera vero die jussit sibi præsentari S. Victorem : cui & dixit : Quoniam annonam non accipis ? S. Victor respondit : Quoniam per vim & injuste exigitur, propterea nolo accipere nec manducare. Ego enim habeo cibum meum spiritalem, & non esuriam in sempiternum. Tunc Dux ira repletus, jussit mitti illum in caminum nimis ardentem, ut consumeret eum ignis. Tunc illi accipientes eum perduxerunt ad locum camini. Et respiciens S. Victor in

cælum dixit : Deus patrum nostrorum, exaudi me peccatorem : quia propter te hæc patior : & præsta mihi, integrum in conspectu tuo permanere : serva me ab igne, quem paraverunt mihi : ut sciant hi, qui te non noverunt, quoniam tu es Deus. Et signans se signo Christi intravit in caminum : & erat glorificans nomen Domini in camino ignis, dicens : Gratias ago tibi, Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, quoniam sicut visitasti Ananiam, Azariam & Misahel misso Spiritu sancto, & liberasti eos à camino ignis ; ita fecisti & mihi peccatori, & non dereliquisti me sperantem in te. Post dies autem tres jussit Præses aperiri caminum, ut colligerent ossa ejus : & convenit militum multitudo, & audierunt eum decantantem in camino laudes Deo & gratias agentem. Aperientes autem milites caminum, viderunt eum illæsum, & dixerunt ad eum : Egredere, vocat te Dux. Cum venisset autem S. Victor ad Præsidentem, dixit ei Præses : Quomodo sic prævaluerunt magiæ tuæ, ut non te læderet ignis ? Dic mihi, quemadmodum maleficiis tuis extinxisti ignem ? Ad quem ille : Gratias ago Deo meo, quoniam magus non sum, ut tu dicis, sed Christianus sum.

CAPUT II.

Præservatio à veneno bis sumpto. Constantia animi in sectionibus, ustulatione & excoriatione.

- 4 Tunc jussit confici venenum mortiferum, & dari in carnibus à malefico, ut ederet ex eis. S. Victor dixit : Non audeam tangere carnes, nisi confisus in virtute Domini mei Jesu Christi : ideoque ut ostendam tibi, quoniam possum omnia maleficia tua dissolvere, & accipio de carnibus istis, & orans manduco. Et accipiens manducavit, & nihil mali sentit. Tunc maleficus alia illi peiora venena attulit & dixit : Manduca & nunc : & si manducaveris, % nihil mali perpersus fueris, ego relinquam omnia maleficia mea, & credam in Deum, quem tu colis. Et manducavit B. Victor, & non est mortuus. Dixit illi maleficus : Salve sis Victor : vicisti enim & fortior me extitisti, & salvasti animam meam perditam ab inferis, ut deinceps vivam. Quomodo enim statua ænea veterascit, & in novissimis extergitur & innovatur; sic & hominem veteratum in maleficiis suis convertit per te Deus, & salvavit in gratia sua. Statimque maleficus ille combussit codices suos omnes, & abrenunciavit omni substantiæ suæ. Et docuit eum S. Victor de omnibus quæ pertinent ad fidem, & consignavit eum in nomine Domini nostri Jesu Christi.
- 5 Post hæc jussit Sebastianus, ut reducerent ante conspectum suum S. Victorem, cui & dixit : Victor,, sacrifica diis, & esto sapiens. S. Victor dixit : Semper sapiens extiti. Sebastianus dixit : Sed nunc factus es stultus. Ad hæc ille : Stultitiam istius mundi elegit Deus, ut sapientiam tuam evacuet. Tum Sebastianus dixit : Ubi est scriptum ? S. Victor dixit : B. Paulus Apostolus hæc dixit. Respondit Sebastianus : Ergo Paulus Deus est ? S. Victor dixit : Paulus Deus non est : sed Apostolus est Dei. Ut sapiens architectus in templo Dei (%%%) fundamentum posuit, quod ædificatur in adimptione ædificii convenientis in angulari Christo. Unde & accepit sapientiam à Deo cum plenitudine Scripturarum, ut ostendat viam salutis iis, qui volunt salvi fieri. Cui Sebastianus dixit : Parce ab stultitia ista, & sacrifica diis : non enim sunt tibi utilia ista verba. Et Victor : Non sum stultus, sed sapientiam quæro : sunt enim stulti omnes, qui tibi audiunt & sacrificant diis, qui ipsi nesciunt verum Deum : & sicut pater eorum diabolus, qui ab initio non agnovit veritatem, ita hi cæcati sunt corde, & scientiam fidei non noverunt. Tunc commotus Dux jussit omnes nervos ejus à corpore amputari. S. Victor dixit : Ego in nomine Domini mei Jesu Christi non pavesco tormenta tua. Ad tempus fac quod facis, noli cessare : sed ista tormenta dolorem mihi non faciunt. Quomodo enim de pede tollitur spina, & post illam exit omnis dolor, & post hæc sit requies, ita & ego nervis amputatis à corpore meo, quievi nimis propter fidem Christi Dei omnipotentis. Iterum Dux jussit oleum fervens mitti in pudenda ejus. S. Victor dixit : O miser, quare non erubescis, & vides quanta est virtus Domini mei Jesu Christi ? Nam incendium

istud, quod mihi præparas, magis mihi refrigerium præstat ; tibi autem æternum supplicium præparat. O insania tua infelix ! Non cognoscis, quia sic est mihi oleum fervens tamquam aqua, quæ datur viatori sitiendi, & bibit ut refrigeretur ; ita & ego refrigeratus sum propter nomen Domini mei Jesu Christi.

- 6 Tunc iratus Præses, dixit : Appendatur in equuleo. Cumque fuisset appensus, jussit lampades ardentes applicari ad latera ejus, & sub voce præconis clamare, & dicere illi : Immola diis, ut ab Imperatore præceptum est. Tunc ait Victor : Ne deficias, miser, variis cruciatibus ; hypocrita, communicator dæmoniorum, putas me his pœnis terreri ? Non timeo minas tuas, quia habeo Dominum meum Jesum Christum, qui me confortat. Et non dubitabo pati pœnas, expectans desiderabilia bona illa, quæ promissa sunt querentibus eum. Et benedico te, Domine Jesu Christe, quia in te confidens, nihil sentio eorum, quæ mihi ministri diaboli intulerunt. Itaque jussit impius Præses, acetum & calcem simul misceri, & mitti in ore ejus, & adjecit Sebastianus : Sacrifica : multum enim in te confundor. Sanctus Victor respondit : Non voluntatem tuam ego facio, sed Dei mei, ut me offeram illi sacrificium castum : quoniam ipse in potestate sua habet corpus & animam meam. Iratus autem Præses jussit à carnificibus oculos ejus erui. Tunc S. Victor dixit Præsidi : Insensate, alienare me speras per has pœnas ab amore Dei & Salvatoris Jesu Christi. Sed non potes, quia habeo corroboratorem meum & Salvatorem ipsum Dominum Jesum Christum, filium Dei vivi. Si oculos istius corporis obcæcasti, de interiore lumine plus videbo oculis animæ.
- 7 Sebastianus Dux dixit : Cogis me multa peiora tormenta imponere tibi. Et ille : Gratias, inquit, ago Deo meo, & quomodo volueris torque, nihil mihi parcens. Paratus sum omnia tolerare, Deo donante fortitudinem. Tunc Dux jussit eum suspendi capite deorsum per triduum : quousque cartilagines ejus sanguinem traherent in terram. Milites autem, ut jussi fuerant, dimiserunt eum triduo pendentem : & post triduum venerunt milites videre, si mortuus esset, an adhuc viveret. Et cum viderunt illum vivum, statim effecti sunt cæci. Tunc S. Victor dixit : in nomine Domini mei Jesu Christi, pro cujus amore ita suspensus sum, aperiuntur oculi vestri. Et statim aperti sunt oculi eorum. Et redeuntes ad Sebastianum Ducem, omnia illi retulerunt.
- 8 Iterum autem jussit eum Sebastianus excoriari. Victor Martyr dixit : Etsi corium carnis meæ & vestem ossium à me tollis, vestem animæ meæ non potes auferre, quia vestitus sum fide & Dei mei dilectione. Cum ergo exoriaretur [?], & esset in dolore positus, elevatis oculis ita preces ad Dominum fudit, dicens : Domine Deus omnipotens, anima mea in exitu posita est, confirma me, & exaudi me, & miserere mei : & veniat in me misericordia tua, sicut omnibus, qui tibi placuerunt. Domine Deus, sucipe me, & ne derelinquas me : neque despicias me Deus meus : & ne projicias me à facie tua, & ne deseras me in tempore doloris mei. Et nunc gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, fili Dei : adesto in adjutorium mihi famulo tuo, & adjuva me à doloribus istis. Ne permittas me à profanissimo ho judice vinci : tu enim nosti, quia propter nomen tuum hæc omnia patior.

CAPUT III.

Martyrium SS. Coronæ & Victoris.

- 9 Tunc quædam mulier, uxor cujusdam militis, nomine Corona, quæ ætate fuerat annorum circiter sexdecim, exclamavit, dicens : Beatus es Victor, & beata opera tua. Susceptum est sacrificium tuum, quo modo sacrificium Abel : quoniam obtulisti te deo in sinceritate mentis, & Deus suscepit te : quo modo Enoch justus, translatus es, ut non gustes mortem hujus seculi, quo usque adveniret temous promissionis. Justificatus es sicut Noe, perfectus à generatione sua ; & sicut ille, ita & tu in omnibus perfectus & justus es. Credidisti Deo sicut Abraham, qui

obtulit filium suum Isaac. Tolerasti persecutiones sicut Jacob, quem persequebantur Esau & Laban. Factus es sicut Joseph, qui gubernavit colonos terræ Ægypti tempore famis. Perseverasti in tolerantia fortissimi Job, qui sustulit multas persecutiones, quo usque vinceret immissiones inimici. Zelaverunt te sicut Isaiam, qui sectus est medius. Suscepit Deus sacrificium tuum, sicut Prophetæ Samuelis. Factus es in odorem suavitatis, sicut Eleazar in sacerdotio suo. Suscepit te Deus sicut Danielelem. Non tetigit te ignis sicut tres pueros sanctos, Ananiam, Azariam & Misaël in incendio, quod eis intulit Nabuchodonosor Rex, quoniam obtulerunt sacrificium Deo. Sperasti in Domino sicut David. Suscepisti sapientiam Salomonis, quousque vinceret omnes colluctationes & circumventionem diaboli. Et cum hæc mulier locuta fuisset, addidit, dicens : Ecce video duas coronas deferri de cælo manibus decem Angelorum : tibi dabitur major, mihi vero brevior. Etsi fragilis, minas Ducis non metuo, Christi regnum, ut fortis, hereditabo.

- 10 Et cum audisset ista omnia Dux illam dicentem ; commotus jussit illam ad se adduci, & ait : Quot annorum es ? Cui ait Corona : Annorum sum sexdecim. Sebastianus iterum dixit : Quando nupsisti ? Cui Corona : Ante annum & quatuor menses. Et ille : Ergo, ait, accede & sacrifica diis. Respondit Corona : Ego Corona vocor, & persuades me perdere coronam meam ? Ad hæc Sebastianus : Quare tam cito deornas te ? Corona dixit : Hoc apud me consideravi, exterminare ornamenta temporalia coruscatione corporis, ut possim illi venire obviam, in quo credo, Jesu Christo immortalis sponso. Nam sponsus terrenus, temporalis est & mortalis ; Jesus Christus autem indulgentior est in pœnitentes, qui numquam dissolvitur. Sebastianus Dux dixit : Sacrifica diis. Corona respondit : Ideo non sacrifico, ut accipiam coronam à Deo. Tunc Dux jussit duas arbores palmæ à militibus declinari, & de cannabinis funibus B. Coronam alligari utraque parte manibus & pedibus : & jussit militibus, ut subito dimitterent partiri. Et cum hæc fierent, divisa est in duas partes : atque ita consummavit agonem suum sapientissima & bona Corona, martyrium suum fideliter adimplens in Domino.
- 11 Tunc S. Victor dixit : Gratias ago Deo meo, qui mihi donavit constantiam istam ingenuitatis meæ usque in finem. Accelerabat quippe gressum, jam prope victoria coronandus : & extendens manus suas ad cælum, dixit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe : quia consolata est virtus mea, & non permisisti perire animam meam : sed donasti mihi gratiam nominis tui. Et nunc, Domine, suscipe spiritum meum in pace. Et cum hæc diceret, percussit eum spiculator. Et postquam decollatus est S. Victor, exiit ab eo sanguis & lac. Populi autem circumstantes admirabantur omnes passiones ejus usque ad finem : & multi augmentari sunt in fide Domini nostri Jesu Christi. Passus est S. Victor Martyr & B. Corona octavo Kalendas Majas, hora nona, sub Imperatore Antonino, agente impiissimo Duce Sebastiano in Thebaide Ægypti, contra civitatem quæ dicitur Lycos, benedicentes Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

Source : Acta Sanctorum, collecta digesta illustrata a Godefrido Henschenio et Daniele Papebrochio e Societate Iesu. Maii, tomus tertius. Antverpiæ apud Michaellem Cnobarum anno MDCLXXX (= 1680), pp. 265 – 268 : “Die decima quarta maii. De SS. Victore milite et Corona Martyribus in Ægypto.”

Geoffroy ou Godefroid Henschen ou Henskens (1601 – 1681) et Daniel Papenbroch ou van Papenbroeck (1628 – 1714) sont deux jésuites bollandistes flamands. L’auteur de l’article sur saint Victor et sainte Corona est “G. H.”, Geoffroy Henschen.